DISSERTATIO SOLENNIS MEDICA

DE

CENTAVRIO MINORI,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

WILHELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE ET WESTPHALIAE, & reliqua,

SVB VMBONE

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII ET ARCHIATRI,

THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,

PATRONI, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SVI, SVMMO OBSERVANTIÆ CVLTV ÆTATEM PROSEQVENDI,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA, MAIORVM MORE, RITE ADIPISCENDI,

Ad d. Octobr. Anno MDCC XIII.

Horis ante & pomeridianis,

IN AVDITORIO MAIORI,

Publicæ Eruditorum diſquiſitioni ſubmiſſa

a

NICOLAO CHILIANI,

VMMERSTADIENSI FRANCO.

IENÆ, LITTERIS KREBSIANIS.



I. N. I.

PRÆFAMEN.

VT in bello, ita & in medicina πολυμηχανίᾳ eſt opus, vtraque arte, militari & medica, contra hoſticos inſultus vnice occupata, ſiue defendenda vrbe, vel regione, ſeu liberanda.

Fuere quidem & etiamnum ſunt, qui panaceam, omnium morborum remedium deprædicant, nec negandum eſt, dari polychreſta, contra quamplures morbos, medicamina; aſt ſi verum fateri volumus, nulla datur, niſi apud Deum O. M. vitæ, ſanitatis, & mortis ſtatorem.

Aliæ laudatæ panaceæ ſæpe empiriam redolent, ne dicam, ſæpe etiam ignorantiam, niſi methodus medendi accedat. Hæc vero, ſtabilita precibus, & præſidiis generoſis, illum titulum vnice meretur, & ſubire poteſt.

Quot herbæ, tot præcones ſunt diuini Numinis, eiusque omnipotentiæ & gratiæ. Illam teſtantur & deprædicant tot millia vegetabilia, nec illa exhaurienda fere, admirandæ elegantiæ, & inimitabilis artificii, delectationis infinitæ. Huius vero ſalubres ſolum, & *medicæ* hinc dictæ, morbis ſanandis, & vitæ ſeruandæ dicatæ, ipſæque *alimentares* quoque, vt contra ea iræ diuinæ, *venenoſæ* ſuo loco.

Et in hiſce tamen & virus & virtus emicat. Sed vt excellunt ſingulæ, ita medici ſoli fere intimius hæc norunt, exquirunt & impendunt. Inter has cum aliis contra emineat CENTAVRIVM MINVS, non a virtute, ſed paruitate dicta, placuit nobis ſcrutinio vlteriori digniſſima, quod vt feliciter eueniat, faxit omnium bonorum fons infinitus Deus!

CAPVT I.

De Centaurii minoris Etymologia, differentia & definitione.

SI vlla in diſciplina, vlloue literarum genere, philologiæ ſtudium, tanquam ſummum & primarium omnis literaturæ fundamentum, huiusque intimioris cognitionis, requiritur, omnium

omnium ſane maxime in arte ipſa ſalutari opus eſt, ea inprimis in parte, quæ medicamina ſimplicia, tanquam neruum rei gerendæ medicæ, tradit; quippe neglecto hoc, varia exinde oboriuntur mala; in quæ ſæpe medici pariter ac ægrotantes incurrunt.

Duplici autem nomine tum in genere, tum hoc loco in ſpecie philologiæ medicæ ſtudium exigitur, grammatice ſcilicet & hiſtorice; huic ergo viæ, hac vice, in conſideratione Centaurii vt inſiſtamus, operæ pretium erit. Nam vt recte *Iſidorus Hiſpal. Origin. Lib. IV. p. m. 98.* monet, & grammaticam medicus ſcire iubetur, vt intelligere vel exponere poſſit, quæ legit; ſimiliter & rhetoricam, vt veracibus argumentis valeat diffinire, quæ tractat.

Hæc ipſa autem philologia grammatica, iuxta *Platonem in Cratylo*, ſcientiæ initium vocatur, quatenus in recta nominum impoſitione interpretationeque conſiſtit. Prius vero, quam nominis definitionem ſeu interpretationem ac deſcriptionem demus, ex vſu erit, vt ſummum illud *Pergameni* monitum, quod *Lib. I. de meth. med. c. 5.* extat, huic meditationi præponamus: Non oportere nominibus ſeduci, nec qui in iis diſſentiunt, hos ſtatim in rebus ipſis diſſentire putare. In quo genere omnes non medicos ſed etiam philoſophorum pleroſque parum exercitatos vides, vt quorum paucisſimi nominum diuerſitatem e rerum diuerſitate diſtinguere norint.

Inextricabilis ferme hic occurrit labyrinthus, & dumetum ſatis obſcurum hinc inde apud auctores, ratione denominationis huius herbæ, eiusque deductionis in genere. Vocatur autem communi nomine centaurium, ſi originem vocis primam ſpectemus, ἀπὸ κεντεῖν ταύρους, quod Romanis ſtimulare, *pungere tauros*, eſt.

Hæc vero deductio a variis varie depromitur; quidam inde ortam eſſe credunt, quod Centauri, populi prope Theſſaliæ montem Pelium dictum, Pelethronio oppido in-

inhabitantes, primi fuerint, qui ex equis pugnare inuenerint, dum domando, pungendo, calcaribusque ſtimulando iſtos, ad ſuſtinendas commode armorum diſceptationes adaptarent, quo de *Iſidorus l.14.c.4.p.m.337.* videri poteſt. Eam in rem *Virgilius l. 3. Georg.* cecinit.

Frena Pelethronii Lapithæ gyrosque dederunt,
Impoſiti dorſo atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo.

& *2. Georg.*

- - *Ille furentes*
Centaurus letho domuit, - -

Hinc κέντρον præter ſtimulum, aculeum, notat quoque calcar, vti videre eſt apud *Stephanum Tom. II. in Lex. p.221.*

Alii, cum *Palæphato l. I. Incredibilium*, centauros taurorum fuiſſe abactores putant, quos ideo ſtimulis pungerent, annotante *Becmanno de Orig. Latin. lingu. p.1061.* quo de hinc originem traxiſſe dicitur vocis denominatio rectius. Alii ἀπὸ κεντεῖν τὴν αὔραν i. e. νεφέλην ἀερίην deducunt, quatenus Ixionem Phlegiæ filium rem habuiſſe cum nube ſub Iunonis effigie volunt, ex quo congreſſu deinde centauros produxiſſe dicitur, vt ex poëtarum fabulis colligitur.

Sunt, qui a *centum* & *aurum* deriuent, vt & herbæ virtuti, quam habeat ſummam, nullo quaſi pretio æſtimandam, & nomini, quod inde obtinuit Germanico, *tauſend Gulden*, eo melius reſpondeat. Licet enim, vi analogiæ huius, *hundert Gülden-Kraut* audire deberet, ex liberaliori tamen ac laudabili, quo pollent Germani, genio, vt eo melius ipſius laudes extollant, factum, vt pro numero centenario millenarium elegerint. Ex hoc ipſo forte fundamento *Tragus l. 1. c. 43.* hanc herbam *auream* vocauit, quod nomen minori in ſpecie conuenit; quam nominis de auro originem vnice amplectendam eſſe, aurigante *Becmanno*, aliqui putant, neque id citra meritum, vnde hanc opinionem ipſis vt ſatis bonam relinquimus; præſtat vero illam

a ve-

a veteribus iam olim datam, & a Græcis primitus ortam noſſe, vnde alluſioni ad aurum virtus occaſionem dedit.

Omnium autem prima & proxima plantæ huius denominandi ratio a Chirone deducitur Centauro, ex Deorum, vt fertur, proſapia orto, quatenus Saturni, qui a cœlo natus, & Phillyræ, ex Oceano maris Deo genitæ, filius fuerit, vt ex bullatis gentilium poetarum nugis patet.

Hic ipſe Chiron Centaurus, ſi *Plinio*, primario alias rerum medicarum archiuario ac hiſtoriographo, fides eſt habenda, primus fuit inter Græcos, qui Troianis temporibus medicinam fecerit, quo de videatur *l. XXX. hiſtor. nat. c. 1. p. m. 112.* quique celebris eſt, tum ob herbariæ & medicamentariæ medicinæ inuentionem, teſte eodem *l. VII. hiſt. nat. c. 56. p. m. 34.* a quo & Æſculapius Apollinis filius medicinam didicit, auctore *Apuleio*, eiusque commentatore *Humelbergio c. 34. p. 131.* tum quoque ob chirurgiæ inſtitutionem, quod *Iulius Hyginus c. 274.* refert.

Varias vero inuenit ac in vſu habuit plantas, quarum primaria, cuius vſum forte in ſe ipſo expertus, præſens hæc noſtra eſt. Nam cum aliquando Hercules, cui aſtrologiam inſtillauerat, vt Achilli citharam, & Æſculapio medicinam, ad Chironem diuertiſſet, & ipſe Herculis ſagittas, ſanguine hydræ, vel, vt vult *Natalis Comes*, veneno hydræ lernææ toxicatas manibus contrectaret, ſecumque penſitaret, quomodo illis immania Centaurorum corpora interfeciſſet, vna, ex improuiſo manibus delapſa, pedem vulnerauit, qua occaſione hanc herbam inueniſſe dicitur, quæ hinc ab ipſo nomen obtinuit ſuum, vt a plurimis centaurium hodie, a quibusdam & Chironion vocetur, teſte *Plinio l. XXV. hiſtor. nat. c. 6. p. 309. Iſidor. Orig. l. XVII. c. 9. p. 426. Kyber. lex. rei herb. p. m. 76. Natal. Com. l. IV. Mythol. p. 720. Nic. Perotto Corn. Cop. p. 488. 551. Leonh. Fuchſ. in inſtitut. l. 1. Sect. 1. c. 1.*

Addunt

Addunt *Natalis Comes* & *Nic. Perottus l. c.* eum, ob vulneris ingentem dolorem diu vexatum, a Diis petiiſſe, vt mori ipſum paterentur; cumque natus eſſet ex immortali parente, ex commiſeratione Deorum tandem ad aſtra ſublatum, ac in ſignum illud cœleſte, quod nunc a ſagitta nomen retinet ſuum, conuerſum eſſe.

Obiter ſaltim hic annotare lubet, quod quidam de Chirone Centauro credunt, eundem fuiſſe altera, ſuperiori ſcilicet, parte hominem, altera inferiori equum, adeoque horrendum aſpectu monſtrum; hoc vero eam ob cauſam, vt inde appareat chirurgiæ beneficium non tam ad homines ſolum, quam etiam ad animalia reliqua ſpectare, vt vult *Natalis Comes l. c.*

Dubitatur vero, idque non ſine ratione, an vnquam portentum eiusmodi in rerum natura extiterit, licet dicatur, quod poſſibile fuerit eundem ſic naſci, quatenus pater eius Saturnus, cum Iouem filium quæreret ſuum, vna cum Phillyræ vxore, Oceani filia, in equum verſus, concubuit, ex quo concubitu deinceps Chiron Centaurus ſuperiori parte homo, inferiori autem equus, ortum duxerit ſuum, referente *Perotto l. c.* quod ſpeciem præ ſe ferre videri poſſet, cum notum ſit ideas, quas forſan ſibi in ipſo conceptionis actu formauerit mater, poſtmodum in ipſo fœtu conſpiciendas ſe perfecte obtuliſſe.

Aſt optime hoc dubium enodat *Pergamenus l. III. de vſu part. corp. hum. c. 1.* dicens: Impoſſibilis eſt ipſi naturæ corporum adeo differentium miſtio. Neque enim ſi coitus quidam venereus homini cum equa fiat, perficient matrices ſperma. Pindaro autem, ſi vt poeta quidem recipit illam, quæ fertur de Centauris fabulam, condonandum eſt. Et paucis poſt, Pindaro quidem cantare & fabulari concedimus, ſcientes, poeticam muſam inter alia propria ornamenta maxime ipſo miraculo egere, delectat auditores, ſed non docet. Nobis autem, quibus de veri-

veritate, non de fabulis, cura eſt, ſatis conſtat, ſubſtantiam hominis & equæ omnino miſceri non poſſe.

Alia paulo facie, ad fidem magis accedentem, idem laudatus *Perottus p. 550.* ex Seruio Grammatico hanc enarrat fabulam: Cum, *inquit*, Theſſalus rex quidam bobus oeſtro exagitatis, ſatellites ſuos ad eos revocandos ire iusſiſſet, illos, cum curſu pedeſtri non ſufficerent, equos aſcendiſſe, eorumque velocitate armentum aſſecutos, ſtimulis agitando ad ſtabula reduxiſſe; & quoniam vel currendo velociter, vel, dum equi eorum, in tranſitu Penei fluminis potantes, capita inclinata tenerent, vnum eſſe animal videbatur, datum huic opinioni locum, quod ſemiequi & ſemihomines eſſent. Et *Iſidoro auctore l. IX. de portentis p. m. 278.* breuiter res ita declaratur: Fabula Centauris, i. e. hominibus equo mixtis, ſpecies vocabulum dedit, quos quidam fuiſſe equites Theſſalorum dicunt, ſed quod diſcurrentes in bello velut vnum corpus equorum & hominum viderentur, inde Centauros fictos asſeruerunt; quod idem valeat de Monocentauro, Onocentauro & Hippocentauro, de quo loco laudato plura.

Tacemus ea, quæ apud *Caſp. Hoffmannum L. II. de medic. offic. c. 50. p. 154.* extant, Chironem minime fuiſſe monſtrum biforme, ſed equo vectum, viſitaſſe ægrotos. Fabulandi autem occaſionem poetas exinde nactos eſſe fertur, quoniam equeſtris illa gens olim, vt & hodie, erat ferox & agreſtior, hinc monſtra fera, ſæua, trucia, clauis & arcu pugnantia vocauere, vt *Stephanus in Theſaur. ling. Græc.* perhibet. Et hæc de his ſufficiant.

Notabilis hic occurrit quæſtio omnino conſideranda, dum varie centaurii vocabulum hinc inde apud auctores reperitur, vtrum ſit ſcribendum κενταύρειον, aut κενταυρεία, aut κενταύριον, quod hinc apud *Plinium* & alios Latinos modo centaurea, centauria, modo centaureum vel centaurium & centaureon legatur, quo de *Voſſius* & ex hoc *Olaus Borrichius in lingu. Pharmacop.* videri poteſt.

B Huic

Huic quæſtioni rectiſſime ſatisfaciemus, ſi veterum veſtigia, inprimis medicorum parentis, *Coi*, proſequimur, ex quo hic tria egregia loca, eorum in gratiam, adducemus, qui nihil de centaurio inibi extare exiſtimant, quod inde factum eſſe putamus, quoniam aut non habuere, aut non legere iſtius monumenta, quod vltimum libentius credimus, quatenus veterum lectio, pro more ſeculi, plurimis deſidioſa ac odioſa eſt, licet verus ſapientiæ theſaurus inibi latitet.

Primus extat *l. II. de morb. S. III. v. 78. p. 78.* Τούτῳ, ἢ ἂν ὀδύνη ἔχῃ, χλιάσματα προστιθέναι, καὶ διδόναι προσφαίνειν κενταύρειον καὶ δαῦκον. *Huic, qua parte dolor fuerit* (ſermo enim eſt de pulmonis & pectoris affectu) *calefactoria apponito centaurium & daucum.*

Secundus *l. c. v. 172. p. 83.* reperitur. Ἐκ τοῦ λουτροῦ, οἶνον λευκὸν κεραννὺς, καὶ μέλι ὀλίγον, καὶ δαύκου καρπὸν τρίψας, καὶ τῆς κενταυρείης διεὶς, τούτοισι διδόναι χλιαρὸν καταρροφάνειν. *Poſt balneum, vinum album, cum modico melle miſceto, & dauci ac centaurii ſemina trita his diluito & tepida hæc ſorbendo præbeto.*

Tertius legitur *l. de intern. affect. S. I. v. 58. p. 199.* διδόναι δὲ αὐτῷ τῶν ῥιζέων τῆς κενταυρείης καὶ τῶν πρὸς ταῦτα τὰ ῥήγματα, ἐπ' οἶνον ἀποξύων. *Dato autem ipſi radicem centaureæ ad has rupturas facientes in vinum ipſas deradens.* Duplex hic reperitur vocis huius lectio, ſcilicet τὸ κενταύρειον, & ἡ κενταυρεία, per quam maius intelligi videtur.

Apud *Theophraſtum* vero, qui ob oris ſuauitatem a *Stagirita Euphraſtus* vocabatur, itidem legitur κενταύρειον, vti videre eſt *l. IV. c. 6. p. 79. edit. Heinſian.* it. *l. I. c. 19. p. 21.* it. *L. VII. c. 9. p. 244.* licet apud eundem *l. IX. c. 9. p. 197.* & *l. IX. c. 14. p. 186.* vocem κενταυρίδα paraphraſtes ibi per febrifugam, hic vero per fel terræ exprimat, quod forte eueniſſe puto, quoniam apud *Plinium l. XXV. c. 6. p. m. 310.* de tertia centaurii ſpecie cognomine triorches legitur, irrito quamuis conatu & contra Græcorum omnium ſententiam, vt recte *Bodæus a Stapel ad c. 9. l. X. p. 1044.* exiſtimat.

Nil

Nil enim de triorches cognomine apud Theophraſtum reperitur, vt tertia centaurii ſpecies, ſed per κενταυρίδα interdum *Theophraſtus* centaurium maius intelligit, vt recte *Dodonæus Stirp. hiſt. Pemptad. III. l. II. c. XI. p. 335.* annotauit, & ipſe *Theophraſtus* ſe explicat *l. c.* dum κενταυρίδ☉ radicem pinguem & ſpiſſam admodum nominat, quæ proprietates centaurio maiori competunt, quod & *Plinius* ipſe affirmare videtur, cum ſuccum ſanguineum ei adſcribit.

Minus quoque iſtud vocabulum per febrifugam, aut per fel terræ reddi debet, quatenus ipſi radicis maioris ſcilicet centaurii eſſentiæ non reſpondent, dulci namque quodammodo ſapore, maioris centaurii radicem præditam eſſe omnes perhibent, minoris vero amaro, adeoque contrario ſenſu minoris prædicata maiori adiecta ſunt, quo de *Apuleii Commentator ad c. 34. p. 134.* videri quoque poteſt. Sic & ſine diphthongo vocis lectio apud *Dioſcoridem l. III. c. 8. & 9.* reperitur, quem nulli eorum, qui in ea quaſi arena deſudarunt, ſecundum eſſe quiſquam dixerit, vt optime de eo iudicium fert *Pergamenus l. IV. de compoſ. medic. p. m. 895.* ne adducamus in hoc ipſum *Galenum*, & eo antiquiorem *Aretæum* duobus in locis, ſcil. de *curat. diuturn. l. I. c. 13. p. 248.* & *libro eodem c. 14. p. m. 252.* qui eandem ſine diphthongo, in neutro genere, agnoſcunt lectionem. Par ratio eſt *Pauli Æginetæ*, & aliorum.

Quod vero ad reliquas attinet lectiones, quas habet *Nicander in Schol.* quando ſcil. κενταυρείαν vocat eandem, & in neutro genere κενταύρειον, ex licentia, qua gaudent poetæ, eas ortum traxiſſe credimus, quoniam ſummus fuit poeta, non minus & grammaticus ac medicus inſignis, qui iam centum & octoginta quatuor annos, ante mundi Seruatorem clarus extitit, vt *Iuſtus in chronol. medic.* perhibet.

Sua quoque vtuntur licentia & Latini poetæ, qui conſtanter fere omnes centauream, producendo penultimam, ſcribunt, *Virgilius Georg. l. 4. Lucret. l. 4. Lucan. l. 9.* vbi hæc:

Et panacea potens & Theſſala centaurea.

Vt vero ex poeſi Græca ſcriptioni huic etiam ſatisfiat, liquet ex deſcriptione theriacæ *Andromachi Senioris*, carminice facta, apud *Galenum lib. de theriac. ad Piſon. c. 7.* & *l. 1. de antid. c. 6.* in hexametri fine: κενταυρίῳ longam, aſt *l. 2. ibid. c. 16.* in iambicis κενταυρίου breuem poſitam ſyllabam.

Vt itaque hæc concludamus ac dicamus quod res ſit, arridet nobis lectio *Hippocratis*, τὸ κενταύρειον, omnium prima, quam cum *Ereſio*, *Anazarbeo*, *Aretæo*, *Pergameno*, aliisque habet communem, quamque alter latinus Hippocrates, medicorum Cicero dictus, *Celſus* quoque *l. V. c. 27. p. m. 333.* habet.

Lex enim quædam eſt, monente *Galeno l. de morbor. tempor. p. m. 312.* communis omnibus Græcis, vt quarum rerum nomina apud vetuſtiores vſurpata inueniamus, his vtamur. Adde, quod apud Græcos non infrequens ſit, hæc illa nomina & per ει & per ι ſcribere. Adeoque fruſtra ſunt, qui antiquis priorem, poſterioribus alteram vſitatam eſſe volunt, antiquisſimos enim notauimus.

Duplex autem ſummis phytologis, veteribus ac recentioribus, Græcis, Arabibus & Latinis, *Dioſcoridi*, *Galeno*, *Ebnſinæ*, *Serapioni*, *Meſuæ*, *Oribaſio*, *Apuleio*, *Matthiolo*, *Trago*, *Cluſio*, *Dodonæo*, *Raio*, *Tourneſortio*, ne plures alios laudemus, deſcribitur genus, κενταύρειον ſcilicet τὸ μεῖζον, ἢ μέγα, vt & ἁδρὸν, vt vult *C. Hoffman. l. c.* καὶ μικρὸν, *Kanturion Kibir*, & *Sege Segir*, *centaurium maius*, ſeu *magnum*, & *minus*, ſeu *paruum*.

Tertia ſpecies, ſecundum *Plinium* triorches dicta, non datur, vt iam annotauimus: annon autem triorchis vocabulum apud Theophraſtum occurrat, videndum recte exiſtimat *Ruellius*, quando *L. III. c. 7. p. 478.* dicit: Nec apud Theophraſtum vsquam ſibi triorchis cognomentum offenderis vſurpaſſe, Quando autem legitur apud *Theo-*

Theophraſt. l. IX. c. 9. p. 179. τὴν κενταυρίδα τέμνοντα τριόρχην φυλάσσεσθαι, *centaurium ſecantem accipitrem cauere*, hic triorches vocabulum non eſt accipiendum, pro centaurii cognomento, ſed, vt recte paraphraſtes expreſſit, per accipitrem, genus pro ſpecie ponens. Triorches enim accipitrum ſpecies eſt, annotante *Bocharto in Hierozoico part. II. c. 10. p. 266.* volatum, *inquit*, accipitris, nemo eſt, qui vel vberius vel elegantius deſcribat ampliſſimo *Thuano*, qui inter accipitrum ſpecies triorchen ſeu buteonem volantem expreſſit *l. 1. de re accipitraria.* Quod autem *Plinius* eiusmodi huic cognomen addidit, ex eo factum eſſe putamus, vt ſtatim quisque, audito hoc nomine, in ipſa ſectione periculum caveat.

Obſtare autem dictis hactenus videtur *Manardus in annot. ad Simpl. Meſue p. 544.* Tertium, *inquiens*, eſt præter hæc genus cognomine Triorchis, quod, ni fallor, fuit olim mihi e Liguria allatum, minori non multum abſimile, ſed longe magis aluum ſoluens; quod ſane nemo pro peculiari quodam genere, ſed pro centaurii minoris ſpecie accipiet, hinc ſi quis iſtam gratiolam dictam centauroiden fuiſſe dicat, coniectura non erit contemnenda.

Theophraſtus Paracelſus, qui ingenio quandoque abundat ſuo, omnes plantas in duas diuiſit monarchias, idque ex plantarum intimiori anatomia ac ſtructura, quatenus aliæ ex ſua natura ac ſtructura viris magis, aliæ fœminis competant. Tanti enim, *inquit*, apud Deum id momenti fuit, vt fœminis peculiarem ſuam monarchiam attribuerit, & ſicut eas a viris in aliud corpus ac naturam transpoſuit, ſic illis peculiariter etiam ſuum mundum & alimentum aſſignauit, medicumque ad id præſtituit, vt ea ſcrutetur & cognoſcat; hinc centaurium in maſculum diſpeſcit & fœminam, maſculum forte centaurium maius, fœminam minus vocando. Vide ſis *Param. l. IV. de orig. morb. matric. p. m. 97.* Quæ vero plantæ hanc diuiſionis

rationem non ſubeant, ſed easdem, eodem in morbo, tam in maribus quam fœmellis, operationes edunt ac vires, illas hermaphroditicas vocat, quale ſit exemplum plantago in dyſenteria, quæ vtrique ſexui opitulatur.

Longe curioſiores & accuratiores paulo exiſtunt recentiores, licet enim priſcam illam, in re fundatam, diſtinctionem in maius & minus retineant, ſubdiuidendo tamen vtrumque genus peculiares in claſſes, rem multo clariorem tradunt.

Hic vero digredi fas videtur & dimittere Centaurium maius, ſiue in aliam occaſionem, ſiue alium laborem. Enimuero, ſi fateri volumus, quod res eſt, nil commune habet maius illud cum minori, præter (1.) idem *nomen* ſubſtantiuum, ſolum, &, vt veroſimile eſt, (2) eundem *inuentorem*, alioquin enim maius a minori toto genere differt, & charactere, ſi deſcriptiones attendamus, tam alias, quam a *Cornuto l. de Plant. Canadenſibus Cap. 28. & 29. p. 66. 69.* egregie factas.

Cum itaque non viſum æque nobis ſit, & dubia quamplura circa idem occurrant, adeo vt in non paucis officinis nobilioribus plane exulet, quod cum rhapontico vero confundatur communiter, quod ita nominetur quoque gentiana, quod *Tragus* aquilegiæ idem nomen arroget, vt alia taceamus, ſeorſim potius conſiderari meretur. Nihil enim fere ſupereſt, ſaltim apud nos, quam analogia quædam floris, vt in *ſcabioſa centauroide Alpina maxima*, & *iacea centauroide*, bona cum pace rude tantiſper donabitur inpræſentiarum.

Quod ergo Centaurium minus, officinale *κατ' ἐξοχὴν*, attinet, forma & magnitudine a priori longe differt, quo de ſolo in ſpecie agemus, & hoc variis varie denominatur. Græcis namque communiter *κενταύρειον τὸ μικρὸν*, *centaurium paruum* ſeu minus dicitur, item *λιμνήσιον, λίμνησις, καὶ λιμναῖον*, a loco natali, vnde nomen, *inquit Dioſcorides l. III. c. 9.* illud

lud accepit, quod locis riguis humectisque naſcatur. Plura quidem alia Græca nomina memorantur in *Nothis eiusdem*, ſed cum reuera, vt recte iudicat quoque *Dodonæus*, minus congrua ſint, ac ſpuria omnino, in iis occupari ſuperuacaneum eſt.

Plinius λεπτὸν cognominat, itemque λιβάδιον, quoniam ſecundum fontes naſcatur, vt & *fel terræ*, quatenus tota ſua ſubſtantia planta cum radice amara eſt, teſte experientia, quo de & *Ruellius l. 3. d. natur. ſtirp. c. 7. p. 478.* videri poteſt. Reperitur hinc etiam apud autores tenue huius cognomen, ſecutos *Plinium*, vt apud *Ruellium l. c.* videre eſt, vt & apud *Actuarium meth. med. l. V. c. 8. p. 272.* it. *Guilielm. Rondelet. in tract. de theriac. p. m. 454.* Vocari etiam a Græcis *orlegonia*, a Chaldæis; *iſiphilon Albertus Magnus de virt. herb. p. m. 124.* perhibet.

Galenus, vel qui alius autor fuerit, *libro de virtut. centaurii* præter illud ſubtile nomen, ad differentiam ſolidi, quod eſt centaurium magnum, centaurium κατ' ἐξοχὴν vocat rectiſſime, ſine vllo alio epitheto, adeoque dubio ſatisfacit ſtatim, quando centaurii vox ſimpliciter apud auctores legitur, vtrum ſit intelligendum, maius an minus.

Dicitur *exacon* etiam a virtute generali, ἀπὸ τοῦ ἐξακέεσθαι, a *medendo*, quoniam omnia mala medicamenta potum e corpore exigat, perhibente *Plinio l. c. Ruellio l. de natur. ſtirp. 1. p. 82.* & *Moriſonio plant. hiſtor. p. 2. ſect. V. c. 22. p. 565. Ebnſinæ* autem *l. II. tract. 2. c. 161.* vt & *Serapioni de ſimpl. ex plant. c. 315. p. 143.* tanquam primariis apud Arabes medicis chanturion vel kanturion ſege ſegir audit; a virtute vero ſpeciali, ſeu præcipua, febrifuga, ob vim febres fugandi pellendique, vel febrifugum. Germani, præter illud ſolenne *tauſend Gülden-Kraut*, quod huic in ſpecie attribuunt, ad imitationem Latinorum etiam *Fieber*- vel etiam *Bieber-Kraut*, item *Aurin*, & *Erdgall* vſitate appellant.

Plures huius a recentioribus æui noſtri botanicis recenſentur ſpecies, licet tres tantum a *Matthiolo* obſeruatæ ſint, centaurium ſcil. vmbellatum, flore puniceo & albo, ſpicatum, & perfoliatum, & luteum ramoſum & non ramoſum, vid. *l. c. p. 468.* ſeu, iuxta *Tragum*, flore albo, purpureo, & perfoliatum flore luteo, quibus *Tabernæmontanus*, *Lobelius*, *Schwenckfeld* aliique contenti ſunt.

Moriſonius l. c. ſeptem exhibet minoris ſpecies, luteum nempe perfoliatum, luteum paruum, luteum perpuſillum, luteum paluſtre minimum, rubrum, flore purpureo & albo, purpureum minimum, & album minus ſpicatum, quem eundem numerum ſeruat quoque *Raius in hiſtor. plant. Tournefortius*, diligentiſſimus rei botanicæ obſeruator, viginti duas recenſet ſpecies.

Nobis hoc loco eas ſaltim ſpecies, quæ noſtris in locis reperiuntur, luſtrare in animo eſt, quippe communisſimum illud, virtute tamen præſtantiſſimum, hincque omnibus notum, *centaurium minus rubrum Moriſonio* dictum, flore purpureo & albo, item *puſillum purpureum*, ſeu *minimum* eiusdem, hinc inde ſaltuoſas ac paludoſas exornat oras.

Quod ad primum attinet, flore ſcilicet purpureo, quod in ſpecie officinale & noſtræ eſt conſiderationis, refertur illud a *Theophraſto*, cui eandem ob cauſam πάναξ λεπτόφυλλον audit, vt & *Plinio* inter panacis genera, aſſignando huic, vt videtur, locum quartum; quartum genus, inquit *Plinius l. XXV. c. 4. p. m. 301.* panacis, ab eodem Chirone repertum, centaurion cognominatur.

Reperitur autem hoc variæ apud nos magnitudinis; hoc, inquit *Simon Pauli in quadripart. botan. p. m. 243.* reapſe virtutes ſi ſpectemus magna, ſi formam, puſilla eſt planta, cui aſſenſum præbet *Moſes Charas Hiſtor. Theriac. Androm. c. 58.* dicens: centaurium minus planta eſt puſilla, cuius caulis eſt exilis quadratus, manu paulo elatior. Rectius fere *Dodonæus*, & cum eo *Moriſonius*, exiguam eſſe plantam dixerunt,

longe

longe vero ab his abeſſe videtur *Serapio*, qui centaurium minus virgam habere longam pronunciauit; aſt quiuis horum veritatem confitetur. Verum non promiſcue in genere de eo pronunciandum, quod ſit planta puſilla, hoc enim puſilli nomen minimo centaurio, καθ' ἐξοχὴν puſillum dicto, conuenit; nec quod ſit exigua vel longa, variat namque pro ratione loci natalis, in locis ſolis conſpectui magis expoſitis exigua & vix manu elatior prouenit, ſed copioſiori caulium numero, minus quadratis & gracilibus, binis angulis aut trinis quandoque præditis. Elatiores autem paulo his ſolum magis pingue, aſt non ita multos profert caules, graciles item & ad figuram quadrangularem quadantenus accedens.

Humidum vero ſolum & non ita ſolis radiis expoſitum, ſed vmbroſum paulo, caules magis craſſiores culmum frumenti æquantes, quadrangulares aliæ, & quidem vel caule ex radice ſimplici, craſſiori tamen & plurimis ramis exornato, vel caulibus diuerſis ex radice minus ramoſis prouenit centaurium noſtrum. Adeoque & hæc ſpecies pro vario hoc creſcendi modo in maius, minus, & minimum commode diſtingui poſſet, pro cuiusque ingenii modulo.

Dioſcorides, & cum eo veterum non pauci, centaurium noſtrum herbam eſſe origani aut hyperici, & deinde foliis rutæ prælongis & paruis, ſimilem eſſe dixit. Hæc deſcriptio multis recentiorum lapis fuit offenſionis, inprimis, vt *Anguillaram* mittamus, *Dodonæo*, qui, cum quoad virtutes non ea ratione, qua de prædicauit *Anazarbeus*, reſpondeat, in eam venit opinionem, non eſſe eam, hac ſub denominatione venientem plantam, ſed potius *gratiolam*, cui aptius iſta Dioſcoridea quadraret deſcriptio, quoniam huic eſſent folia rutæ longiora.

Proximius quidem ad centaurii naturam accedit gratiola, ſeu gratia Dei dicta, quoniam tota ſua ſubſtantia

amara eſt, minus vero ad formam & figuram centaurii reſpondet, quatenus humilem magis gerit caulem, & quidem folioſum, foliis ſcilicet ſerratis vel crenatis ad marginem, rutæ anguſtioribus & longioribus, ad hyſſopum accuratius accedentibus. Hinc a *B. Rolfincio* aptiori quoque nomine inſignitur, quando iſtam hyſſopioiden, *l. de purgantibus vegetab. ſect. VI. c. 1. p. 198.* vocat. Florem fert albicantem, monopetalum, labiatum, quibus notis characteriſticis inter ſe collatis, facile vnum ab altero diſcerni queat, licet conueniant virtutis ratione, ex eo autem cum *Dodonæo l. c.* colligere minus conuenit, vires vtriusque inter ſe eſſe confuſas, & deſcriptiones permixtas, quod ex ipſo textu *Dioſcorideo* probare annititur.

Sic *Leonhardus Fuchſius l. 1. paradox. c. 11.* præeunte *Manardo annot. ad ſimpl. Meſues p. 544.* vt & in *Epiſt. l.* eiusdem *XII. epiſt. 3. p. 322.* ſatis grauiter perſtrinxit Arabes, Auicennam & Meſuen, quod vtriusque centaurii hiſtoriam & facultates confuderint, adeo vt nemo, licet oculatiſſimus ſit, eas citra veterum collationem diſcernere & cuilibet ſuas adaptare queat, atque hoc nomine Arabum medicorum lectionem ſuſpectam eſſe iudicat, ob inſcitiam multarum herbarum.

Vt autem dicamus quod res eſt, & quidem primo, quod ad *Dodonæi* ſpectat ſententiam, qui *Dioſcoridem* erroris cauſa accuſat, quod gratiolæ & centaurii deſcriptiones confuderit, id minus rei congruum eſſe facile quisque deprehendet, ſi vel accuratius vtriusque plantæ formam, vel attentius autorem inſpexerit. Triplicis foliorum quaſi ſpecies in centaurio obſeruantur, in caulis ſummo rutæ quadantenus inſtar apparent, in caulis medio hyperico optime quadrant, & quæ radici proxima, rotundis paulo ſunt longiora, hinc gentianæ aut plantaginis magis folia æmulantur, quæ tribus neruis quoque ſeu coſtis ordinarie dotata obſeruantur, quæ ſic plantagini trinerueæ æque com-

comparari poſſint, quo de *Stapelius* quoque *l. c.* videri poteſt. Si ergo deſcriptio *Dioſcoridea* cum ipſa planta examinatur, tunc res vtroque modo clarior euadet, adeoque nullum a *Dioſcoride* commiſſum videmus errorem. Quod vero ad virtutem eius attinet purgantem, qua de dubitat *Dodonæus*, illud infra, vbi in ſpecie de virtutibus agemus, enodabimus.

Deinde *Fuchſii* quod concernit iudicium, qui in recenſendis Arabum erratis libenter verſatus fuit, vt de ſe ipſo fatetur *paradox. 1. c. 8.* minus rei conuenienter iſtos accuſauit, dicit enim loco antea allegato: Obliti diuiſionis, vtriusque proprietates atque vires indiſcriminatim miſcent, horumque hiſtoriam confuſiſſime tractant, falſum quod vterque centaurium minus maiori prætulit &c. Ex hoc ipſo, ne plura adducamus, ſatis patet *Fuchſium* non legiſſe *Auicennam*, affingit enim *Ebnſinæ*, quæ nunquam ipſi in mentem venerint.

Vt autem res luce meridiana clarior euadat, ponamus *Ebnſinæ* vtriusque deſcriptionem, quæ *l. 1. tract. 2. c. 161. p. m. 300.* extat, & ſic ſe habet: centaurea quid eſt? duarum eſt ſpecierum, ſcilicet maior & minor, quæ naſcuntur in fine veris & folia ſunt, ſicut alethil ſeu alathel, (quod arborem denotat Ægypti magnam, quæ folia habeat ſimilia foliis tamariſci, & hinc ſpecies huius a quibusdam eſſe putatur, cuius ſemen hadebe vocatum ſtypticum ſit inſignis vſus) & groſſa, duas habet ſpecies, albam & citrinam, in quorum capitibus eſt viriditas & planta eius eſt magna, ſicut almekeneſati & ipſius potio ad febricitantes eſt. Herba vero eius quæ eſt parua, eſt ſimilis alhauſegi montano (ſeu, vt marginalia hoc explicant, calamenthæ montanæ & hypericoni; (Alhauſegi enim eſt arbor ſpinoſa, cuius ſpinæ ſunt longæ, acutæ, ex cuius ramis corona ſpinea Seruatoris noſtri fuerit confecta, ſi fides habenda *Andreæ Bellunenſi* Arabicarum vocum expoſitori) & eſt farecon,

aut potius fareton, (quod eſt centaurium minus, vt vult antiqua Arabica expoſitio) & eius folia ſunt ſicut folia rutæ, & aſſumitur quandoque ſuccus ex ea quæ eſt viridis, & quandoque ex ea quæ eſt ſicca, decoquitur enim in aqua donec aqua virtutem aſſumat; hactenus *Ebnſina.* Ne hoc loco in medium producamus, quæ de natura ac viribus, quæ alibi ſint memoranda, de quolibet ſingulatim prædicauit, adeo vt nulla huic confuſionis culpa ſit adſcribenda.

Quod vero *Meſuen* plagiarii criminis inſimulat, eundem ex Auicenna ſua hauſiſſe omnia, nefarie facit, quod nunquam demonſtrari poterit, dum longe alia facie hiſtoriam centaurii proponit, licet primo intuitu rem paulo confuſius circa centaurium eundem tractaſſe videatur, intimius tamen conſiderato, id non liquet; in eo quidem ipſi non adſtipulandum, quando æſtatis initio illud colligi ſcribit, quod naſcendi alias tempus ab *Ebnſina* conſtituitur. Si vero ad exprimendum ſuccum illud quis adhibeat, quo veteres ſæpius vtebantur, & hoc optimum erit tempus, vbi ſucco adhuc refertum habetur; ſin vero ad vſum flores & ſemina deſiderantur, autumnali magis tempore illud colligendum eſt, adeoque hic error, ſi quidam dicendus, leui aliqua correctione vel ſaltim explanatione perſpicue reddi potuiſſet ab ipſo *Fuchſio.* Aſt ipſe Manardum feliciter ſecutus, remque vltra modum, quam quod par erat, extendit, & ex nimia quadam calumniandi libidine, tanquam œſtro quodam percitus, bene a Meſue dicta peruertit, quod iuſto dolore motus *Balduinus Ronſſeus epiſt. medicinal. 56. p. m. 210.* expreſſit.

Deciſionem quaſi hactenus dictorum, de peruerſo *Fuchſii* aduerſus Arabes iudicio, ſuppeditat *Caſparus Hoffmannus l. c.* Ego, *inquiens*, hic obiter illis, qui laſciuiunt contra Arabes, quod confuderint vtriusque centaurii facultates, impono hoc laboris, conferant & exponant errorem

rem ſoli meridiano. Ego tam vicinas reperio, vt credam alterum alteri ſubſtitui poſſe. Addi his poteſt, *Dioſcoridem* ſæpe laxius paulo analogiam, ſeu ſimilitudinem inter plantas exponere, minus accurate per omnia.

An hoc noſtrum centaurium hactenus deſcriptum, purpureum, etiam reperiatur flore albo, ſunt, qui dubitant, vt *Ioh. Bapt. Portæ l. 3. Phytognomic. c. 3. p. 147.* dicens: centaurium minus ætate albeſcit, quod reuera quoque obſeruare quisque poteſt, qui curioſius paulo rem attendit. Vniuerſalis vero hæc aſſertio non eſt, vt hoc pacto a natura denegetur flore albo. Datur enim reuera etiam noſtris in locis, licet rarius reperiatur, vt & hepatica nobilis flore albo, nec ætate & ſolis calore productum abſolute eſſe autumamus. Creſcit vero & copioſe in Alſatia circa Argentinam, aliisque in locis, perhibente *Trago.*

Defectum autem huius compenſat nobis *centaurium puſillum*, ſeu minimum Moriſonii, ramoſum, plantula admodum ſpecioſa & conſideratione digna. Creſcit caule ramoſo biunciali vtplurimum alto, flores gerit pentapetaloides minimos purpureos, ſemen habens multo exilius alio, amat loca paludoſa, ſtagnoſa & humida, reperitur in pratis circa viam Zigenhainenſem vulgo dictam.

In reliquis ſpeciebus recenſendis examinandisque ex *Raio*, *Moriſonio* & *Tourneſortio* ſupra tactis, hic non immorabimur, addemus ſaltim ex *Carol. Cluſio rar. plantar. hiſtor. l. VI. c. 1.* affirmante id Moriſonio, quod in collibus iuxta Tagum creſcat lutei ſpecies quædam, quæ ab incolis ſemper noua dicatur, quoniam toto fere anno floreat, & quaſi renaſcens conſpiciatur.

Accedit ad centaurii noſtri formam & ſpeciem quaſi *lychnis centauroides*, quam ipſe *Dioſcorides* æmulari centaurium aſſerit, & quidam centaurium minus viſcoſum vocant, flore purpureo & albo, pentapetalo, calice oblon-

giori ex albo purpuraſcente prædito, antherulis ex viridi coeruleſcentibus, minus foras prominentibus repleto, foliis in ſummitatibus centaurio noſtro perfecte accedentibus, in medio vero & circa radicem latioribus, caulem rotundum, duriuſculum, quadantenus excauatum, & circa ſummitates viſcoſum, ambientibus, quæ in horto Ducali, Academico, aliisque loci noſtri reperitur.

Huc faciunt, ob aliqualem conuenientiam ratione ſaporis, *gentiana*, quæ hinc *Dioſcoridi* quoque in *nothis* κενταύριος ῥίζα, κάρκη καὶ χειρώνειον audit, quæ denominationes leui errore cum noſtro confundi queant: vt & *gentianella* vnicaulis flore vnico dilute coeruleo, foliis centaurii minoris, de quo videri poteſt *Ioh. Mich. Fehr in tract. de Scorzon. c. 1. p. 11.*

Cæterum nos, qui rerum ſcientiam non vſum vocum moramur, ad ipſam rem nunc propius accedamus, in nominibus enim ſemper conueniendum, & ad res ipſas properandum, iisque inhærendum eſt, iubente id *Pergameno l. de ſympt. different. p. m. 36.*

Eſt ergo centaurium noſtrum herba variæ magnitudinis, radice fibroſa albicante, lignoſa, reſpectiue inutili, minori, foliis in terra ſparſis trinerueis, plantaginis inſtar, minoribus vero anguſtioribus & in apicem deſinentibus, inſtar hyperici, in caule, quo gaudet quadrato vtplurimum, excauato, ramoſo ſæpius, gracili aut craſſiori, in ſummitate vmbellam quaſi conſtituente, variæ altitudinis, flore monopetalo, hypocrateriformi, pentapetalode, e puniceo purpurascente, interdiu patente, ad veſperam clauſo, relictis poſt ſe capſulis ſeminalibus oblongis exiguis, grano tritici ſimilibus, ſeminibus minutiſſimis refertis, ad varios vſus impendenda.

GENVS eſt herba, præeunte *Ereſio l. 1. hiſt. plant. c. 5.* vbi omnes plantas diſtinguit in arborem, fruticem, ſuffruticem & herbam, dicens: Ἐπεὶ δὲ συμβαίνει σαφέστερον εἶναι

τὴν

τὴν μάθησιν διαιρουμένων κατὰ εἴδη, καλῶς ἔχει τοῦτο ποιεῖν, ἐφ' ὧν ἐνδέχεται. πρῶτα δέ ἐστι καὶ μέγιστα καὶ σχεδὸν ὑφ' ὧν πάντα τὰ πλεῖστα περιέχεται τάδε, δένδρον, θάμνος, φρύγανον, πόα. *Cumque doctrina euidentius tradi ſoleat, quando per ſpecies diuidimus, recte hunc in modum agetur, vbicunque fieri poſſit. Sunt itaque prima & maxima & a quibus omnia pene, aut certe plurima continentur, arbor, frutex, ſuffrutex, herba.* Hanc vero in ſpecie ibi deſcribit, quod ἀπὸ τῆς ῥίζης φυλλοφόρον προϊὸν, ἀστέλεχες, οὗ ὁ καυλὸς σπερμοφόρον, *ab radice foliatum ſine caudice prouenit ſemenque caule fert*, vt frumenta & olera, adeoque huc apprime quadrat.

DIFFERENTIA partim a flore pentapetalode purpureo, partim a caule & foliis triplicis quaſi generis, deſumitur, quibus rite examinatis ab origano, hyperico, ruta, gratiola, gentianella, lychnide, tertianaria aliisque facili negotio diſcerni queat.

CAPVT II.

Temperamentum & vires centaurii exhibet.

CIrca plantas in genere earumque partes minus contemnendam philoſophandi rationem ſuppeditat *Ereſius, l.c.l.1.c.19.p.22.* ἅπαντα, *inquiens*, τὰ μόρια τῶν δένδρων, καὶ τῶν φυτῶν, οἷον, ῥίζα, καυλὸς, ἀκρέμων, φύλλον, καρπὸς, ἔχει τινὰ οἰκειότητα πρὸς τὴν ὅλην φύσιν. *Vniuerſæ arborum plantarumque partes, vt radix, caulis, ramus, folium, fructus, cognationem quandam habere tota cum natum videntur.* Vt enim natura, ſeu coordinatus totius huius vniuerſi complexus, ex miſcela quadam elementari conflatus exiſtit, ſeu qualitatibus & temperamento gaudet ſuo: ita ſpeci-

fice

fice determinatis ex illo, eadem communia attribuuntur cum toto principia.

Quatuor autem eſſe conſtitutiua rerum omnium ſuo iam tempore ex Hippocrate demonſtrauit *Galenus de natural. facult. l. 1. p. 1035.* primus enim, *inquit*, omnium tum medicorum, tum vero philoſophorum, quorum vtique fama ad nos peruenit, clare demonſtrare tentauit, quatuor eſſe in vniuerſum, quæ mutuo in ſe agerent qualitates, a quibus, quæ genitum interitumque agnoſcunt, omnia gignantur, ac perimantur, quin etiam miſceri eas totas per totas, primus omnium Hippocrates nouit.

Horum autem principale actiuum, quod reliqua in eſſe ſuo moderatur, ſuppoſitis formæ principiis, ſemine & fermento, igniculi conſtituunt: hi ipſi enim vt materiam ad principium vitale animantium præbent, ita inprimis in terra hinc inde copioſe ſparſi, cum reliquis, τὸ eſſe vegetabilium in ſpecie conſtituunt. Maxima namque horum pars in circulatione vniuerſali prima, in terram recluſa eſt, idque ex ſumma Dei Optimi Maximi prouidentia ac conſilio, vt non tantum ad ſolidi ipſius moderamen ſymbolum ſuum adferant, ſed vt totam terræ ſphæram ad producenda varia, quæ tum ad vſum & conſeruationem hominum, tum quoque brutorum omnis generis, maxime ſpectarent, intimius quaſi animet. Hæc omnium optime *Cous l. de princip. & carn. p. 113.* expreſſit. κυκλεομένων δὲ τουτέων ὅτε οὖν ἐταράχθη, ἀπεκλείσθη τοῦ θερμοῦ πουλὺ ἐν τῇ γῇ ἄλλοθι· τὰ μὲν μεγάλα, τὰ δὲ ἐλάσσω, τὰ δὲ καὶ πάνυ σμικρὰ, τὰ δὲ πλῆθος πολλὰ, καὶ τῷ χρόνῳ ὑπὸ τοῦ θερμοῦ ξηραινομένης τῆς γῆς. *Hæc quum in orbem circumuoluerentur & turbata eſſent, multa calidi pars in terra concluſa eſt, alibi maior, alibi minor, alibi valde pauca, alibi copia multa & temporis progreſſu terra a calido arefacta eſt.* Pro diuerſa igitur calidi huius in corporibus exiſtentia maiori vel minori variat ac diſpenſatur vniuſcuiusque exiſtentia & temperamentum, vt aliud ab

ab alio quoad hoc diſcrepet. Hinc fit, vt iuxta *Ereſium* *l. c.* πᾶν ἔχῃ κρᾶσιν τινὰ καὶ μῖξιν ἰδίαν, *vnumquodque temperamentum quoddam & mixtionem obtineat peculiarem.*

Si hactenus dicta applicemus & ad centaurii noſtri κρᾶσιν καὶ μῖξιν reſpiciamus, variare in hac definienda autores reperimus. *Dioſcorides* in hoc plerumque ſilet, *Galenus* vero *l. de ſimpl. medic. facult.* eam attendit, quando dixit: vincit in eo qualitas amara, paululum habens & adſtrictionis, atque ob eiusmodi temperamentum, admodum exſiccatorium eſt medicamen. Huic quoque *Aetius Tetrabibl. I. ſermon. 1. p. 32.* aſtipulatur: *Auicenna* calido centaurium gaudere temperamento & ſicco refert. *Tragus* calidum & ſiccum ſine gradus eminentia deſcribit. *Fernelius l. V. m. m. c. 7.* vt & *Montanus l. 18. de natur. medicam. c. 4.* *Barthol. Montagnana* & alii, calidum & ſiccum ordine ſecundo deprædicant. *Otto Caſmannus nucleo myſteriorum naturæ l. II. c. 20.* ſibi ipſi non conſtat dicens: centaurium tertio gradu calidum, alterat qualitate prima; quæcunque enim ſunt calida tertio gradu, illa alterandi vim manifeſtam edunt in corpore; vnde *Victor Trincauellus l. VIII. c. 9. p. 38.* illud inter medicamenta acerrima retulit, *Sennertus* vero inter calida medicamenta tertii gradus in *Inſtitut. maior. p. 921.* centaurium recenſet, quem & alii ſequuntur.

Vtut vero non omnibus indiuiduis æquale iudicandi de temperie hac inſit fundamentum, ſed huic minor, alteri maior videatur obiecti ſenſibilis gradus; attamen ſi & organorum & obiectorum proportio, & cum aliis collatio, legitima obſeruetur, certius idem definiri poteſt.

Diiudicatur hæc ipſa temperies omnium optime guſtu ſeu ſapore, qui eſt amarus, ex quo fellis terræ nomen reportauit, quo pacto *Raius* herbam perquam amaram eſſe, minus autem florem contra ſenſum iudicauit, rectius vero *Ioh. Poſthius* cecinit:

Flos mihi ſuaue rubet, ſed ineſt quoque ſuccus amarus,
Qui iuuat obſeſſum bile aperitque iecur.

Quo de *Ioh. von Beuerwick theſauro ſanitatis part. I. p. 34.* videri quoque poteſt.

Dicimus hinc centaurium noſtrum ex diuerſis particulis conflatum eſſe, conſtat ex plurimo ſale, eoque fixo magis, multa reſina, ſeu oleo & terra, & pauca aqua, quod & *Nic. Lemery Cours de Chymie part. II. c. 17.* affirmat, & ex hac miſcela obtinet temperamentum calidum & ſiccum, quoniam partes actiuiores calidæ in prædominio, humidæ vero in ſubdominio ſunt; hinc calorem corporis noſtri augendi vim poſſidet. Accurate namque medicum caloris gradum in quouis medicamento ſcire iubet *Oribaſius l. 14. collect. medicin. p. 466.* innuens: Optimus medicus, non tantum hoc aut illud medicamentum eſſe calidum, ſed, quantus in eo ſit calor, ſcire debet.

Cum itaque amara communiter ad ſecundum ordinem calidorum reponantur, vel in genere calida dicantur, iuxta *Galenum*, *πάντα τὰ πικρὰ θερμὰ εἶναι*, *omnia amara ſunt calida*, niſi, in deguſtationis hoc examine, ſalia acria pungitiua ſe prodant, quæ hinc caloris gradum augent; Cum ad leges graduum horum eminenter & ſenſibiliter centaurium hoc præſtet, ſed citra læſionem tamen, conſultius poſſumus ſtatuere calidum eſſe & ſiccum, gradu & manſione ſecunda, & hæc linguæ ſanæ deciſione. Hoc etiam optime deprehenditur ab eo, qui laxitate gingiuarum laborat illudque deguſtat; quo paſſu etiam vtiliter adhiberi poteſt linimenti inſtar extractum, non adeo inſpiſſatum, abſtergit leniter, paululum adſtrictionis relinquens.

Variat etiam hoc ſecundum præparata exinde, extractum, & alia. Sic aqua ex herba deſtillata, etſi nullum præter herbaceum habet ſaporem, in ore tamen detenta ſatis grauiter papillulas linguæ nerueas pungit & rodit, adeoque manifeſte præſentiam particularum acrium

ſali-

ſalinarum exhibet, quibus magis expanſis corpus noſtrum alterare apta nata eſt.

Ineſſe etiam huic partes ſulphureas volatiles, primo intuitu id negare quiſpiam poſſet, quoniam nullum de ſe herba, floribus quamuis elegantiſſimis exornata, ſpargit odorem; aſt in deſtillatione aquæ, primum cum partibus aqueis partes aſcendunt ſulphureæ volatiles, quæ ſi naribus admouentur, penetrantem ſpirant odorem, vt ſternutationem ſæpius excitent: vt taceamus, lixiuium ex incineratione paratum, & ad medietatem incoctum, colorem non tantum croceum, ſed & ſuauiſſimum ſpargere odorem. Sulphur vero fixum copioſius, vt in tota planta, ita in floribus in ſpecie conſpiciendum ſe præbet: ſuaue namque rubent, quod ſignum eſt ſulphuris inibi purioris exiſtentis, quam in reliqua ipſius ſubſtantia, infuſi enim cum ſpiritu vini lenique digeſtioni relicti, elegantem ſatis tincturam croceam præbent amaricantem.

Impurius paulo floribus, & adhuc fixum magis ac reſinoſum, reliqua herbæ pars oſtendit ſulphur. Si nempe conquaſſatur & ſuccus exprimitur, hic ſuccus calori ſolis expoſitus ac ſæpe agitatus in reſinam quaſi abit fuſcam; ſapore amariſſimo, nauſeabundo, ad vſus non ſatis laudandos impendendus.

Prius, quam ad alia progreſſum faciamus, videndum omnino, an vis multiplicandi vel generandi huius herbæ dependeat a ſemine, an a radice. *Tragus* ſemen impugnat, & negat productionem eius a ſemine fieri, quatenus ſeminis loco, in capſulis ſeminalibus, reperiatur farina nigra; hinc, cum ex radice minus id procedere poſſit, quoniam cum ipſa herba exareſcit, ex humiditate & inclinatione quadam cæleſti eam creſcere autumat. Hanc vero ſententiam cabaliſtis accedere *Antonius le Grand hiſtor. natur. part. 7. art. 6.* vbi de ortu plantarum agit, demonſtrat, dum veluti e cathedra perhibent, nullam herbam

eſſe aut plantam inferius, cuius non ſit ſtella in firmamento, quæ etiam percutiat & dicat ei, creſce. Omnes contra plantas ex ſemine ſuo tanquam ex ouo procedere e re omnium optime *Ereſius* demonſtrat, adeoque nullum eſt dubium, quin & hæc noſtra creſcat e ſuo generis ſemine.

Ad VIRES centaurii ſi reſpiciamus, easque ad rationis & experientiæ normam reuocemus, tantæ ſunt, vt *Galenum* mouerint totum de virtute centaurii componere tractatum, dicit enim in illo ſtatim poſt principium, nihil eſt prope dixerim, inuenire euidentius & ad multa vtilius centaurea. Hinc dictum quidam volunt ex centum & *ἀρεταί*, quod habet centum virtutes.

In genere autem vt de omnibus amaris, ita in ſpecie de centaurio prædicatur, quod ſit aperiens, incidens & ſimul roborans, præcipitans ac detergens, putredini reſiſtens, anthelminticum. Et cum de acrium natura quodammodo participet, rarefacit ſerum, ſanguinem & bilem fundit, reſoluit ac diſiicit.

Primaria, quam in eo *Anazarbeus* laudat, virtus *vulneraria* ſeu traumatica eſt, herba, *inquiens*, recens tuſa ſuo illitu vulnera conglutinat, vetera vlcera purgat, & cicatrice obducit. Hoc idem *Galenus* quoque confirmat, quando *l. de ſimpl. medic. facult. p. m. 191.* ita ſcribit: vlcera magna herbæ ipſius recentis illitu glutinantur, & vetuſta, quæque ægre ad cicatricem perduci queunt, cicatrice eodem modo vtentibus includuntur. Miſcetur cum illis, quæ ſinus & fiſtulas ſanare ſunt natæ, vetereſque durities emollire, tum vlcerum maligna & cacoethe ſanare. Hæc ex eodem *Ioh. Tagaultius in Inſtitut. chirurgic. l. 11. p. 982.* approbat, quod ad verbum quaſi *Aetius* quoque *Tetrabibl. 1. ſerm. 1. p. 32.* refert, ne de *Ebnſina*, *Serapione* ac *Oribaſio* dicamus. Quo in caſu ſuccum quoque laudibus extollit *Galenus de virtut. centaur.* confert, *inquiens*, chronicis & antiquis vlceribus vncta cum vino, in corroſis vero cum aceto, & in putridis ſimiliter.

Sic

Sic eodem in caſu *Renodæus in diſpenſat. medic. l. 1. ſect. 4. c. 70.* illud commendat, dum dicit: centaurium minus potenter calefacit, vlcera antiqua expurgat, & ad cicatricem deducit, quod idem *Iacobus Hollerius Inſtitut. chirurg. l. 11. c. 5. claſſ. 8. Simon. Pauli in quadripart. p. 244. Dodonæus l. c. c. 22. Ruellius* aliique affirmant. Unde & a *Macaſio* inter vulneraria ſeu traumatica *prompt. m. m. c. 28. p. 207.* reponitur, & a *Schrœdero in pharmac. p. 454.* eiusque commentatore *Frid. Hoffman. in claue* inter alia virtutis prædicata vulnerarii quoque obtinet.

Sane ſi vnquam veteribus in definiendis ac deſignandis ſimplicium medicamentorum viribus, in quo luxuria diffluxere ſæpius & promiſcue omnia omnibus attribuêre, fides habenda, certe in hoc iſtis ſubſcribendum eſt, quod egregie ſe habeat in inueteratis vlceribus. In ſanatione enim vlceris ſinuoſi, fiſtuloſi, mali moris & pro incurabili ac deſperato relicti, non ſine magna ægrotantis lætitia egregios iſtius effectus vidimus, dum herbam cataplasmatis forma per aliquot dies externe adhibuimus, quæ vlceris ora indurata emolliendo, abſtergendo, ſiccando, carne replendo, glutinando, ac cicatricem tandem inducendo, munus ſuum exſoluit. Quod *Plinius* quoque *l. XXVI. c. 14. p. m. 372.* obſeruaſſe videtur: centaurii minoris, *inquit*, coma decocta vel trita, vetera quoque vlcera purgat & perſanat.

Adſcribitur huic ſecundo quaſi loco a *Dioſcoride*, quod bilem, craſſosque humores per aluum exigat, ſi decoctum eius deuoretur, cui, præter *Galenum*, *Ebnſina* accedit, dicens: centaurii minoris decoctio quandoque ſoluendo educit cum phlegmate & crudo humore choleram, & potus duarum ſpecierum eius, quando ſuperfluit, educit ſanguinem ſolutione, & proprie minoris.

Aetius Tetrabibl. I. ſerm. III. c. 33. p. 125. vt & *Actuarius de method. med. l. V. c. 8. p. 272.* inter purgantia centaurium noſtrum

ſtrum enumerant, dicendo: quod tenue centaurium bilem craſſisſimam, & quicquid craſſi ac viſcoſi ſanguini admixtum eſt, educat, quare commode lienoſis, melancholicis & coxendicis dolore inflatis exhibeatur. Bibitur huius decoctum aqua feruefactum, fiat autem ex centaurii ſcrupulis ſex & hemina aquæ, quæ ad dimidias coquantur. Id ipſum etiam *Paulus Aegineta l. VII. c. 4. p. 648.* vt & *Otto Caſmannus in Nucleo myſter. l. II. p. 249.* & de ſucco in ſpecie *Plinius* affirmant, qui ſucci drachmam in hemina aquæ cum exiguo ſalis & aceti aſſumere iubet, quod bilem detrahat, vti videre eſt *l. XXVI. c. 7. p. 351.*

Hanc vero centaurii purgandi operationem in dubium vocat *Dodonæus*, non obſtantibus veterum præclarorum virorum teſtimoniis, quando loco citato ſcribit: Dioſcorides & poſt eum Galenus bilem & craſſa per aluum ducere, iſchiadicisque infundi centaurii minoris decoctum referunt. Nos autem etſi frequenter ac feliciter hoc vſi, per aluum tamen expurgationem vllam facere obſeruare non potuimus, quam ob rem, nullam huic centaurio minori commouendæ & expurgandæ alui vim ac potentiam adeſſe exiſtimamus.

Ad hæc vero optime reſpondet *Caſpar. Hoffmannus l. de medic. officin. II. c. 55. p. p. 155.* quod Dodonæus cauſatur confuſionem centaurii huius cum gratiola, inane eſt. Licet enim centaurium noſtrum minus forte purget, quam veterum, non ob id tamen non purgat; videmus enim ſi debita quantitas detur, quod purget, fortaſſis fit malum illud, ſi ſupergrediatur medicus legem naturæ, purgat autem bilem craſſam.

Nos ipſi quoque circa hanc rem inſtituimus experimenta, in quibusdam decoctum propinatum vomitus excitauit, in aliis aluum leniter mouit, in aliis prorſus nullum edidit effectum, magis autem ἄνω exturbationem moliri quam κάτω videtur, ob inſignem amaritudinem &

ſalia

ſalia acria partim volatilia, partim fixa, quibus incidit, abſtergit, attenuat, vellicat, ſicque naturam ad exploſionem ſtimulat. Quod autem noſtrum non ita vt veterum centaurium exacte & ad inſtar reliquorum proprie & κατ' ἐξοχὴν dictorum purget, exinde venire autumamus, quoniam pro ratione loci natalis non modo herba quoad creſcendi modum, vt vidimus, variat, verum etiam & multo magis quoad virtutes, quod *Plutarchus*, *libro de facie quæ in orbe lunæ apparet*, affirmare videtur. ὡς τὸ κενταύριον ἄν, *inquit*, εἰς ἀγαθὴν καὶ πίονα σπαρῇ χώραν καὶ βρέχηται καὶ ἄρδηται, τῆς κατὰ φύσιν ἐξίσταται ποιότητος, καὶ ἀποβάλλει τὴν δύναμιν, αὐχμῷ δὲ χαίρει, καὶ πρὸς τὸ οἰκεῖον ἀποδίδωσιν. *Ut centaurium ſi ſeratur in bonam & pinguem terram, ac rigatur, vim qualitatemque ſuam naturalem amittit: ſiccitate gaudet, in eaque ſuam naturam ſeruat.* Adeoque ex hoc ipſo loco ſatis clare patet, quod facile qualitates ac vires naturales, ni commodum & naturæ conuenientem locum natalem inueniat, deperdat. Accedit ad hoc *Oribaſius*, qui *l. 14. medicin. collect. c. 14.* expreſſe dicit: quod apud nos eſt refrigerans, quod calidis locis prouenit, calefaciens, quo inde minus promiſcue cum *Dodonæo*, centaurium minus non purgat, concludere ſicque affirmare in vniuerſum licet.

Refert *Manardus l. 12. epiſt. 3. p. 322.* ex Iacobo de Patribus, duplicem operationem centaurio intra corpus aſſumto ordine quodam ineſſe, primam aſtringendi, quæ ab amaritudine & ſtypſi fiat, qualitatibus in eo inſignioribus, alteram a calore & acrimonia, quam poſt longam in corpore eius agitationem fieri dixit, nec ſemper, ſed proprie cum eius purgatio ſupra modum exſuperat.

Ex quo dubium hinc facile quisque ſibi duplici nomine concipere valet, quod & *Caſpar. Hoffmannus l. c.* mouet. Primo, quod ſi adſtringendi magis in eo eſſet facultas, non ſimul adeſſe poſſet laxandi eadem; ſed notandum, quod ſtypticitas in eo tanta non eſt, vt reliquas particulas, amari-

amaritudine pollentes, quibus detergendo purgandi vel laxandi potius finem exſequitur, in opere ſuo turbet. Ita enim iuncta eſt particularum heterogeneitas, vt aliæ aliis in ſubſidium veniant, vt ſi partes actiuiores calidæ & acriores fibras nerueas exagitant, tunc terreſtres, fixæ, roborandi magis quam adſtringendi fine agunt. Vnde *Plinius l. 26. c. 7.* centaurium ſtomachum corroborare ſcribit.

Notabile vero eſt rhabarbarum, aloen & in ſpecie ipecacuanham, famoſum illud in dyſenteria remedium, euacuare & poſt exturbationem adſtrictionem relinquere, quod fit ex diuerſitate partium conſtituentium, quod idem licet non in tanto gradu in centaurio accidit, hinc & antidyſentericum eſt, teſte *Galeno l. de virt. cent.* circa finem.

Addi itaque poteſt, non ſolum purgantia dici fortiora, ſed etiam leniora, vt ſpeciatim inter alia huius generis laudata amara, vnde & aloe non aliter purgat, quatenus blande detergunt, & bilem ad inferiora inuitant. Imo etiam notum eſt, polypodium, epithymum, fumariam huc referri merito, vnde conſulto cum aliis purgantibus maritantur. Hæc omnia illuſtrantur & textu ipſo Dioſcoridis, vbi ἄγϵ, ſcribit, *κατὰ κοιλίαν χολώδη καὶ παχέα, agit* vel ducit *per aluum bilioſa & craſſa*; & collatione facta cum abſinthio *l. 3. c. 26.* vbi idem & maiori emphaſi de hoc prædicat; cum ſquilla, quam itidem *πρὸς μάλαξιν τῆς κοιλίας, ad emolliendam aluum* commendat, *l. 2. c. 202.*

Secundo, quando prædicatur de centaurio, quod ſit glutinatorium vulnerum & vlcerum, obſtat huic ratio, innuens: omnia quæ purgandi vi ſunt prædita, eadem vulnera dilatant mouendo & lacerando. Aſt recte *Macaſius prompt. m. m. p. 78.* purgans per aluum duplicis ordinis eſſe annotauit, vel mitius, vel fortius; ad primam ergo claſſem ἐκκοπρωτικῶν ſeu ὑπαγωγῶν, quatenus vltra primas vias & hepar vires ſuas non extendit, centaurium refert, dum lubricando, abſtergendo educit. Quæ vero ita ſe habent,

vlce-

vlcerum abſtergentia ſunt egregia, abſterſione enim facta, partibus ſuis actiuis calidis ſanguinem, qui ad nutritionem partis vlceroſæ aduehitur, coagulat & in gluten quaſi redigit, & ne inter coniungendas partes vlla ſubnaſcatur impuritas ac humiditas, prohibet, reliquas vero vlceris partes impuras poſt abſterſionem relictas ſua terreſtreitate ſeu ſtypticitate corrigit, ſicque ad coadunitionem, vt ita loquamur, inuitat, adeoque vtrique fini commode ex ſua natura reſpondet. Vnde & a *Sennerto Inſtitut. maior. l. V. c. 9. p. 942.* inter glutinantia & cicatricem inducentia refertur.

Bezoardicas ſeu alexipharmacas centaurium noſtrum præſtare virtutes, hinc inde ex auctoribus colligitur, vnde qui venenum ſumſerint, capiant herbam tritam ex aceto & bibant, mox diſcutiet venenum, auctore *Apuleio p. 134. Galenus l. de virt. centaur.* illud aduerſus rabioſi canis morſum valere experientia, tam propria, quam aliena quoque probare nititur. Dicit enim ſtatim in principio: Apollonius ſenex, vnus virorum, qui valde erant approbati in Roma, cuius magiſter fuit expertus medicus, vtebatur hoc pharmaco in multis aduerſitatibus, & per Deum miratus ſum de ipſo in circumambulatione, plurimum enim propter hoc circumambulabam cum ipſo. Cumque quendam morſum a cane rabido curaret, præſente me & deridente, & dicente, nunc non habes vti centaurea, conuerſus ad famulum, ait, da mihi pyxidem. Cumque eam dediſſet ei, videns eum de pyxide accipientem de pharmaco, primo quidem putabam & ipſum deridere, erat enim maxime ſimplex homo, poſtquam autem vidi curam facere, de ipſa, multum miratus fui de ſucco.

Hoc ipſum vero ex propria etiam experientia eundem obſeruaſſe eodem in libro circa finem adducit, vbi ſimul animalium venenatorum, aduerſus quæ valeat ſuccus, mentionem facit, dicens: Apollonius curauit quendam genere Gallicum morſum a cane rabido, & ego curaui quendam iuuenem, dans bibendum pharmacum iſtud. Idem & *Cornelius Celſus* approbat, quando illud aduerſus ſerpentium genera peregrina & peſtifera magis commendat *l. V. c. 27. p. 333.* Non minus *Apuleius p. 143.* herbam pulueriſatam in vino exhibendam ad viperæ

morſum proficuam eſſe ſcribit, quo pacto *Paracelſus l. 2. de morb. verm.* ſerpentem ſtatim a liquore centaureæ necari poſſe adfert. Et hinc etiam theriacam Andromachi non immerito ingreditur.

Excellens conſtituit medicamentum ſpecificum aduerſus *febres intermittentes*, inprimis tertianam, vnde centaurium nomine febrifugo, febribus terribile *B. Rolfincio l. de purgant. vegetab. ſect. I. art. I. c. 22. p. 22.* audit, quo nomine increbuit ſeorſim apud Germanos, vt febrifugam κατ' ἐξοχὴν vocent. Vid. *Sennertus Epit. naturál. ſcient. l. III. c. 5. claſſ. 8.* ſummum enim bilis correctorium eſt; corrigit fermentum eius peregrinum, vnde balſamum quoddam & condimentum totius maſſæ ſanguineæ conſtituit, quod a corruptione maſſam humorum præſeruat, & vaſa excretoria ad recrementorum expulſionem inuitat, quo de vide *Frid. Hoffmannum in claue p. 433.* Datur ergo foliorum & florum eius decoctum vel infuſum, in vino vtiliter potandum, tertianariis, quod per aſſerta bilem per inferiora deiiciat, vt *Matthiolus l. III. c. 6. p. 488.* & *Tragus l. c.* perhibet.

Inſigne quoque eſt *hepaticum* ac *ſpleneticum*, reſerat obſtructiones horum viſcerum, quoniam martis vires poſſidet, vt vult *I. Baptiſt. Porta phytognomic. l. 8. c. 4. p. 472.* Prodeſt apprime in ſcorbuto, ictero, hydrope, cachexia & aliis affectibus. Inde recte *Paracelſus l. I. de tartareis c. 2:* centaurea ad hepar pertinet & confortat, & purgat virtutem ſeparatiuam hepatis, & vbi hepar eſt corruptum & debile. Et deinde: centaurea eſt hepatis propria herba, non curat ſtomachum. Conuenit ergo ſcirrho vel indurationibus horum, cataplasmatis forma externe appoſitum, quatenus extenuando reſoluit, quod præter *Aetium l. c. Fernelium l. 6. c. 7.* & *Montanum l. 18. de natur. medic. c. 4. Aretæus* Cappadox *de curat. diuturn. l. 1. c. 14. p. m. 252.* affirmat. καὶ ὁ τοῦ κενταυρείου χυλὸς ἔξωθεν ἐπιτιθέμενος καὶ πινόμενος, *centaurii ſuccus forinſecus impoſitus & potus in ſcirrhum indurato prodeſt lieni.* Quoad hepatis vero curationem caput antecedens videri poteſt.

Ad *oculorum affectus* a *Dioſcoride, Galeno, Aetio, Serapione* aliiſque ſuccus cum melle mixtus, vt euporiſton, ita ſummi vſus de-

præ-

prædicatur, tollit hypopya, & liuiditates, quæ fiunt in oculo, cicatrices albas, caligines, nubeculas aliaque, quæ apud *Galenum l. c.* videri queunt. *Apuleius*, præter dicta, decoctum centaurii ex manipulo & vini congio melle dulcificatum, & quotidie ieiune potum, in oculorum affectibus valere ſcribit.

Conſtituit inſigne *anthelminticum*, enecat & expellit vermes omnis generis, vbi ſuccus optime ſe gerit, teſte *Apuleio*, quo fine & ad enecandos aurium vermes & animalia extrinſecus illapſa, cum bombace adhiberi poteſt. Sic & *iſchiadicis* prodeſt, *menſes* & *partum* promouet, & communi vſu, vt id repetamus, abſtergit, aperit, attenuat, reſiſtit putredini, & exturbat craſſos humores, & quicquid amara poſſunt, inſigniter præſtat. Ne dicamus de vſu contra veneficia, quo de videatur *Plinius l. XXV. hiſt. natur. c. X. p. 324. Albertus Magnus de virt. herb. p. 124.* & *Codronch. de morb. venefic. l. IV. c. 8. p. 193.*

CAPVT III.

De Vſitatis & productis e centaurio.

VT gladiatores vnico inſtrumento varie vtuntur, quo arcent iniurias corpori illatas: ita medici, vnico ac ſimplici ſæpius remedio, varie tamen quoad rerum circumſtantias mutato, hoſtes ab intra periculum vitæ minitantes, in quantum iis conceſſum, propellunt & in fugam conuertunt.

Itaque centaurium noſtrum vnicum & ſimplex medicamentum, varie tamen & pro rationis exigentia adhibetur a medicorum filiis. Aſſeruantur autem in officinis noſtris pro vſu *ſummitates* potiſſimum & *flores*, *radicem* vero huius vno quaſi ore tum veteres ἄχρηςον, ἄπρακτον, tum quoque recentiores ferme omnes tanquam inutilem reiiciunt. Eſt etiam paulo exilis & aſpectu contemnenda, dum ætate lignoſa euadit; interim vero recens ſucco madida, ſapore ac qualitate gaudet cum tota reliqua ſubſtantia, propterea quoque a *Ioh. Tagaultio inſtitut. chirurg. l. II. p. 383.* radix centaurii huius, vel recens vel arida

madefacta ad glutinanda vulnera adhibetur, apud reliquos, quantum quidem ſcio, minus in vſum vocatur. Durius vero paulo eos accuſat *Fuchſius l. 1. paradox. c. 9.* qui centaurii minoris radice vtuntur, dicit enim; inſigniter errant, qui minoris radicem vſui medico hodie accommodant, ſola forſan veterum autoritate, quam tamen non ſemper obſeruat, motus.

Frequentioris vſus *herba* eſt, ſeu folia herbæ ſolum, ſeu cum *caulibus* ſimul; Tota herba vna cum caule & radice pro conficienda AQVA, & ex huius reſiduo pro elaborando *extracto* in vſum cedit.

EXTRACTVM, ſiue hoc pacto, ſeu ex eſſentia per euaporationem l. a. factum, e viridi rubet, amaricantiſſimum, ſed fere ingratius, præterquam in pilulis. Ex ℔i herbæ & florum cum caulibus infundendo in aqu. ſimpl. ℔viii. haberi poſſunt ℥iiiß extracti ſpiſſi. *Angelus Sala* e viridi parat *S. 2. c. 6.*

AQVA hæc ſimplex alterandi vſum præſtat egregium, licet de amari ſapore nihil poſſideat, vt omnia amara per deſtillationem adparata amaritudinem amittunt: interim de ſalinis & actiuis particulis participat quoque, vnde commode vehiculi loco in propinandis pulueribus febrifugis adhiberi poteſt, quoniam humectando vim inuertendi, corrigendi, aperiendique auget.

Recipitur herba quoque ad *aquas* inde eliciendas dictas *compoſitas*, qualem *Euonymus* dictus in *Theſauro de remed. ſecret. p. 210.* auro comparandam, vt vocat, deſcribit. Recipit nempe gentianæ part. i. centaur. p. ii., tritis & quinque diebus in vino maceratis deſtillat, quam aquam mane & veſperi potam præſeruare corpus ab omni morborum genere ſcribit, quæ omnia apoſtemata excludat, bonum colorem faciat, peſtilentiæ reſiſtat, phthiſicos ſanet, calculum in renibus frangat, menſes promoueat, ſi nouem diebus quotidie mane bibatur, bilem craſſam educat, viſum clarificet, & quæ ſunt alia ibi videnda.

Sic herba ingrediens præbet *aquæ bezoardicæ Londinenſium in pharmac. p. 77.* deſcriptæ, vt & *aquæ gentianæ compoſitæ* dictæ, quæ *l. c. p. 80.* cum vino deſtillata ſub aquæ nomine veniens deſcribitur.

Præ-

Præparatur ex herba quoque, præter *extractum* laudatum, SIRVPVS, qui minus apud nos in vſu, interim ingreditur *ſirupum artemiſiæ Londinenſium*, quem in *pharm. p.107.* exhibent. Nulla fere herba frequentior in variis compoſitionum generibus occurrit hac noſtra, ob virtutes quibus gaudet polychreſtas. Hinc *puluerem antilyſſum* dictum *Londinenſium p. 189. l. c.* deſcriptum, *antidotum* item *hæmagogum* dictorum, nam menſibus ſuppreſſis quoque debetur, vnde & *ſirupum de artemiſia* dictum ingreditur *p. 201. Theriacam etiam Andromachi*, quo de præter Londinenſes *p. 212. Moſes Charas in hiſtor. theriac. Androm. c. 88.* videri poteſt, it. *hieram Logadii* illorum *p. 231. oleum Exceſtrenſe p. 279. vnguentum mariatum p. 301.* vt & *vnguentum neruinum p. 310.* & denique *emplaſtrum neruinum Londinenſ. p. 341.* viribus ſuis adiuuat.

ESSENTIA conſit cum ſpiritu vini, vt notiſſimum eſt, pro vſu ſtomachico, ad cruditates corrigendas, appetitum roborandum, & alia. *Theophraſtus Paracelſus lib. de icter.* ſtatim ab initio eſſentiam commendat ſequentis tenoris: recipit *centaur.* ℥*iii croc orient.* ℥*i myrrh.* ℥*iii vini ardent.* ℔*xv.* quæ eſſentia a ℥i ad ℥iii ſumta colorem per corpus diſperſum ad ſtomachum reducat, vt eo commodius medicamentis exturbantibus malum totum eradicari poſſit. Ingreditur hinc etiam eſſentiam abſinthii compoſitam. Alio plane modo & ſimplici *Petr. Ioh. Faber in myrothecii Spagyr. lib. II. c. 16. p. m. 552. quintam eſſentiam centaurii* vtriusque parare ſolet, ex floribus cum ſpiritu vini & aceto ſulphuris, ſeu ſpiritu ſalis; huic tincturæ, *inquit*, eſſentiam ſi addas, ſtupendum euadet medicamentum, eſſentiam autem ex ſucco centaurii vtriusque deſtillando ſpiritum rectificatum, quem cum ſale fixo depurato ex centaurii cineribus in balneo tepido coniungit, parat, huic medicamento eiusmodi vires adſcribit, vt ſi fides habenda ſit ei, nullum ſub ſole melius eſſet medicamentum hoc ipſo. Vnicum tantum momentum iſtius commendationis adducemus: nullum, *inquit*, eſt præſtantius medicamentum, quo conſulo, vt vtantur omnes, qui ſanitatem infirmam habent, & eos omnes, qui podagra, chiragra, gonagra & ſimilibus doloribus tentantur, quod nulla moleſtia cauſam morbi foras pellat, vulneribus recentibus, oculis læſis medeatur.

DECOCTVM ex herba leniendi aluum fine paratur, quod tamen in nonnullis vomitum excitat, vt annotauimus, cum ſale vero ſeu aceto, & oleo appropriato clyſterem pro educenda materia craſſa, bilioſa, impura, conſtituit, præſertim in dolore iſchiadico, vbi maxime dilaudatur a veteribus. Externe quoque decoctum contra furfures & cruſtoſam capitis ſcabiem *Raius l. 20. c. 9.* exhibet, vix, *inquit*, præſtantius vllum decoctum reperies, quam huius, inſigniter detergit, imo vna myriades pediculorum enecat.

INFVSA cum vino, vel ſola herba, ſeu flores potius vel cum aliis appropriatis, vt abſinthio, & aliis, pro affectibus ventriculi, hepatis, lienis; ſeorſim egregium præbet medicamentum in febribus intermittentibus, inprimis tertiana, vbi optime ſe habet nodulus ſequens in me ipſo cum ſucceſſu in vſum tractus: ℞. *rad. plantag. cichor. trifol. fibrin.* a. ℥ß. *herb. card. ben.* m i. *tertianar. ſcord. flor. centaur. min.* a. m. ß. (vel ſummitates, quod perinde eſt,) *bellid. fl. pl. fumar.* a. pii. *cort. chin. de chin.* ℥i. *caſſ. caryoph.* ʒiß. *lign. colubr. rhab. elect.* a ʒi. Conc. contuſ. gr. m. Dentur cum ſindon. rubr. Hoc infuſum materiam heterogeneam præcipitat, corrigit, roborat, aperit poros, ſanguinem purificat, mouet ſudorem & vrinam, & leniter educit. Hoc fine & *Paracelſus l. II. de vita longa c. 14.* ex hyperico, centaurio & prunella, *balſamum* naturale conficit, pro vſu interno & externo in vulneribus.

Idem infuſum polychreſtum eſt ad obſtructiones etiam alias expediendas, illas enim aperit, menſes muliebres mouet, foetum ipſum expellit, ſeu obſtructiones vteri ipſius adeo prompte ſoluit, vt immoderato vſu ſanguinem & prægnantis fœtum excludat, teſte *Fernelio l. 5. m. m. c. 7.*

Camerarius in horto med. in aſcite proficuum eſſe perhibet, quia cauſam aufert, hepatis obſtructiones, ipſumque valde ſolatur. Habet vero ſimul virtutem adſtrictoriam, ob partes terreas, vnde viſcera ſimul roborat.

SVCCVS centaurii, vt & *extractum* varia in forma adhiberi ſicque in vſum vocari poteſt. Sic rite præparatus per ſe, vel emplaſtri forma in vulneribus & vlceribus rebellibus ſummo cum ſucceſſu applicatur. Detergit, mundificat & ad conſolidatio-

nem

nem inuitat, cum aliis vero commode ad emplaſtra conficienda inſeruit.

Tale *Hollerius inſtitut. chirurg. l. II. c. 5.* deſcribit, recipit nempe *centaur. min.* m. vi. macerationi per noctem integram in vino albo relinquit, deinde in eodem vino ad dimidias incoquit, colatum ſuccum ad craſſitudinem mellis recoquit. Hoc facto recipit ſucci huius ℔i, *ceræ nouæ* quartarium i. *reſin. thur. gum. arab. maſtich.* a. ℥i. *lactis muliebr.* ℥ii, quo cruenta glutinat, dura emollit, fluxiones inhibet, putredines arcet, ſordes detergit, imo laude dignum eſſe iudicat. Idem hoc ab aliis quoque, paucis mutatis, vt longe optimum commendatur, ceræ terebinthinam addendo, vel ſubſtituendo.

Ex eodem extracto & ſucco inſpiſſato etiam facile *pilularis forma* conſurgit, ad pilulas febrifugas, ictericas, ſtomachicas, mercuriales, aliosque vſus apparandas.

Sic & *flores* tum per ſe, tum cum aliis iuncti, varie expetuntur. Florent vero Iulio & Auguſto. *Ioh. Vigerius in Theſaur. & armament. medic. chirurg. l. 2. c. 9.* eos ad balſamum ſuum admirandum ad vulnera glutinanda recipit; *Paracelſus* quoque *de membr. contract. tract. 2. c. 8.* quo de ſuo arcano compoſito ſermonem facit, flores centaurii inter alia ad illud conficiendum adhibet. Tacemus CONSERVAM, quæ partim ex floribus partim ex ſummitatibus ſimul conficitur, cuius & *pharmacopoeia Londinenſis* meminit *p. m. 154.* ad bolos, inter alias, & electuaria vtilem.

SAL denique ex incineratione totius plantæ habetur, ſeu ſimplici illa & ſolitaria, ſeu cum ſulphure paratum, non adeo granulatum, vti ſal abſinthii, ſed foliatum quaſi apparet, & inde exhalando butyroſum quaſi videtur. Melius tamen fere, citra additionem, fit, modo rite procedatur.

Summi vſus hoc eſt, quod pulueribus abſorbentibus, præcipitantibus, febrifugis commode miſceri poteſt. Talis eſſe poteſt ſequens: ℞. ⊖*is abſinth. centaur. min. arcan. duplic.* a. ℈ß. *conch. ppt.* ℈ii *diaph. cort. chin. de chin.* a ʒß. *caryoph.* gtt. ii. M. F. Puluis, diuidendus in duas partes æquales, quarum vtraque cum aqua centaurii minoris ante paroxysmum propinari commode queat. *Raius l. c.* ſolum centaurii minoris ſal, certo

expe-

experimento tertianam fugare ſcribit, ſi in aqua eius diſſoluatur, & paroxysmi tempore propinetur, vt inde largiter ſudent ægrotantes, quod & *Simon Pauli in quadripart.* obſignat.

Sal vero ipſum in febribus etiam more *Crollii* miſceri poteſt: ℞. ſal. centaur. min. ℈i. aquæ card. ben. abſ. cent. min. à. ℥i. ∾ ⊕l. ℈ß. M. D. ante paroxyſmum.

Tacemus SPIRITVM per fermentationem paratum, tum ad alia vtilem, tum ad appetitum languentem inſtaurandum, inprimis eſſentificatum, ſeu ad eſſentiam inde parandam impenſum.

Quod etiam externe vſus ſuos præſtet, in quibusdam iam diximus, ſpeciatim etiam ſtrenue ſe gerit in clyſteribus aliis acribus ad apoplexiam, epilepſiam, colicam & aliis præſcribendis. Ingreditur quoque hieram Logadii, quæ in clyſteribus non raro vſurpatur.

Succus vmbilico applicatus ad lumbricos necandos prodeſt cum aliis, vnde & *vnguentum ad vermes Auguſtanorum* ingreditur. Idem in vermiculoſis auribus inſtillatus vſum habet, præſertim ſi, iuxta *Grembſium*, in eo parum colocynthidis bullierit, & cum oleo amygdalorum amarorum inſtilletur.

Hæc potiora fere duximus inpræſentiarum adducenda. Plura ſi quis deſideret, apud *D. Ledelium* Tr. erudito de hac ipſa materia videri queunt.

SOLI DEO GLORIA.

PLantago centum, dent millia centaurea;
Sic medico merito fœnore diues eris!

Hoc votum ſincerum amica mente ſubſcribit

PRÆSES.